PROBLEMA ALGEBRAICVM OB AFFECTIONES PRORSVS SINGVLARES MEMORABILE

Auctore L. EVLERO

Novi Commentarii Academiae Scientiarum Imperialis Petropolitanae
pro Anno MDCCLXX, Tom. XV, pp. 75-106

Problema, cuius affectiones hic contemplandas, ita se habet:

Inueniere nouem numeros

A, B, C,
D, E, F,
G, H, I

ita in quadratum disponendos, vt satisfiat duodecim sequentibus conditionibus:

1°. AA+DD+GG = 1
2°. BB+EE+HH = 1
3°. CC+FF+II = 1
4°. AB+DE+GH = 0
5°. AC+DF+GI = 0
6°. BC+EF+HI = 0
7°. AA+BB+CC = 1
8°. DD+EE+FF = 1
9°. GG+HH+II = 1
10°. AD+BE+CF = 0
11°. AG+BH+CI = 0
12°. DG+EH+FI = 0

Circa hoc problema sequentia obseruo.

I. Cum numerus conditionum implendarum superet numerum quantitatum determinandarum, problema hoc plusquam determinatum videtur. Vtcunque enim conditiones praescriptae perpendantur, nulla alio relatio, qua aliquae in reliquis iam contineantur, in iis deprehenditur, nisi quod summa conditionum 7°, 8°, 9° conueniat cum summa conditionum 1°, 2°, 3°; vnde vnica harum duodecim conditionum in reliquis iam contineri videtur; qua remota tamen adhuc vndecim conditiones reliquuntur, quae binario numerum quantitatum incognitarum excedunt. Hic equidem tantum de eiusmodi relatione loquor, quae has conditiones consideranti occurrit, reuera enim aliquot necessariae relationes inter eas intercedunt, quae autem vix ante animaduertuntur, quam problema perfecte fuerit solutum.

II. Deinde obseruo hoc problema non solum non esse plusquam determinatum, sed adeo esse indeterminatum, ita vt nouem numerorum quesitorum tres pro lubitu accipere liceat, nihiloque minus omnibus conditionibus praescriptis satisfieri queat. Dummodo enim sex prioribus conditionibus fuerit satisfactum, relique sex sponte implentur atque omnino fieri non potest, vt sex prioribus satisfiat quin simul omnibus satisfiat. Quocirca problema propositum eiusdem prorsus indolis maneret etiamsi sex posteriores conditiones plane omitterentur; ac tum ei insigne Theorema istud adiungi posset.

Quodsi nouem numeri A, B, C, D, E, F, G, H, I *ita fuerint comparati, vt 6 prioribus conditionibus satisfaciant tum etiam necessario sex posterioribus satisfaciant.*

Quod Theorema pro difficillimo demonstratum venditare non dubito, neque video quomodo demonstratio adornari queat, nisi solutio problematis fuerit explorata.

III. Neque vero hoc problema pro otiosa speculatione seu mero lusu ingenii est habendum, sed potius in doctrina de superficierum natura est maximi momenti. Cum enim natura superficiei per aequationem inter ternas coordinatas tribus axibus inter se normalibus parallelas exprimi soleat, talis aequatio mutandis axibus in infinitum variari potest, etiamsi axium communis intersectio in eodem puncto statuatur. Quoniam igitur eadem superficies infinitis aequationibus diuersis inter ternas coordinatas definiri potest, plurimum interest earum characterem communem nosse, qui in eo consistit, vt si coordinatae ternis quibusdam axibus datis parallelae sint x, y, z; quae autem aliis quibuscunque axibus constituuntur parallelae, fuerint X, Y, Z eorum relatio mutua semper huiusmodi formulis contineatur:

$$\mathrm{X} = \mathrm{A}x + \mathrm{B}y + \mathrm{C}z; \qquad \mathrm{Y} = \mathrm{D}x + \mathrm{E}y + \mathrm{F}z; \qquad \mathrm{Z} = \mathrm{G}x + \mathrm{H}y + \mathrm{I}z,$$

qui nouem coëfficientes ita comparati sint necesse est, vt inde fiat: $\mathrm{XX} + \mathrm{YY} + \mathrm{ZZ} = xx + yy + zz$, quandoquidem his formulis quadratum interualli quo superficiei punctum ab initio coordinatarum distat, exprimitur. Quod fieri nequit, nisi hae sex aequationes habeant locum:

$$\begin{aligned} &\mathrm{AA} + \mathrm{DD} + \mathrm{GG} = 1, \\ &\mathrm{BB} + \mathrm{EE} + \mathrm{HH} = 1, \\ &\mathrm{CC} + \mathrm{FF} + \mathrm{II} = 1, \\ &\mathrm{AB} + \mathrm{DE} + \mathrm{GH} = 0, \\ &\mathrm{AC} + \mathrm{DF} + \mathrm{GI} = 0, \\ &\mathrm{BC} + \mathrm{EF} + \mathrm{HI} = 0 \end{aligned}$$

quae sunt ipsae sex priores conditiones nostri problematis.

IV. Quocunque autem modo hoc problema secundum Algebrae praecepta tentetur, ob tantum incognitarum numerum semper ad calculos vehementer intricatos peruenitur, ex quibus neutiquam solutionem commodam expectare liceat. Theoriam quidem angulorum in subsidium vocando, haud difficulter solutio satis concinna obtinetur, verum haec methodus vix ad alias huius generis quaestiones magis complicatas traduci poterit: veluti si circa 16, 25, 36 etc. numeros, pariter in quadratum disponendos similis quaestio instituatur, vt summa quadratorum per singulas columnas tam verticales quam horizontales sumtorum vnitati aequetur, simul vero summae productorum secundum binas columnas itidem tam verticales quam horizontales ad nihilum redigantur. Methodum ergo etiam ad has quaestiones patentem, quae vtique in Analysi maximi momenti est putanda deinceps sum expositurus, postquam demonstrationem Theorematis II. memorati, atque solutionem problematis initio propositi ope sinuum et cosinuum tradidero.

Demonstratio Theorematis §.II. propositi.

V. Assumo ergo nouem numeros nostros A, B, C, D, E, F, G, H, I ita esse comparatos vt sit

$$1^\circ.\quad AA+DD+GG = 1$$
$$2^\circ.\quad BB+EE+HH = 1$$
$$3^\circ.\quad CC+FF+II = 1$$
$$4^\circ.\quad AB+DE+GH = 0$$
$$5^\circ.\quad AC+DF+GI = 0$$
$$6^\circ.\quad BC+EF+HI = 0$$

quarum tres posteriores ita repraesento:

$$4^\circ.\quad AB = -DE - GH$$
$$5^\circ.\quad AC = -DF - GI$$
$$6^\circ.\quad BC = -EF - HI$$

vnde concludo fore:

$$\frac{4^\circ \cdot 5^\circ}{6^\circ} \cdots = \frac{AA\ BC}{BC} = AA = -\frac{(DE+GH)(DF+GI)}{EF+HI}$$

qui valor ipsius AA in prima aequatione positus dat:

$$-(DE + GH)\ (DF + GI) + (EF + HI)\ (DD + GG) = EF + HI$$

factaque euolutione:

$$-\ DEGI\ - DFGH + DDHI + EFGG = EF + HI$$

cuius aequationis primum membrum manifesto in hos factores resoluitur:

$$(DH - EG)\ (DI - FG) = EF + HI.$$

VI. Cum igitur sit EF + HI = −BC, erit

$$BC = (EG - DH)\,(DI - FG)$$

similique modo colligetur fore

$$AC = (FH - EI)\,(EG - DH) \qquad \text{et} \qquad AB = (DI - FG)\,(FH - EI),$$

quarum duarum posteriorum productum per primam diuisum praebet

$$AA = (FH - EI)^2 \qquad \text{hincque} \qquad A = \pm(FH - EI)$$

quia autem singulos numeros tam negatiue quam positiue capere licet, ambiguitas signi nullam variationem inferre est censenda, vnde sumto superiori habebimus:

$$A = FH - EI;\ B = DI - FG;\ C = EG - DH.$$

Cum autem ex rei natura columnas verticales inter se permutare liceat, hinc per analogiam concludimus fore

$$D = BI - CH;\ E = CG - AI;\ F = AH - BG;$$
$$G = CE - BF;\ H = AF - CD;\ I = BD - AE.$$

VII. En ergo nouem nouas determinationes, quae in sex conditionibus praescriptis necessario inuoluuntur, et quas insuper ad 12 conditiones initio propositas adiicere potuissemus. Verum hae ipsae nouem determinationes, quas sequenti modo indicabo:

13°. A=FH − EI
14°. B=DI − FG
15°. C=EG − DH
16°. D=BI − CH
17°. E=CG − AI
18°. F=AH − BG
19°. G=CE − BF
20°. H=AF − CD
21°. I=BD − AE

facile ad conditiones sex posteriores initio propositas deducunt. Nam formulae 13° per D, 14° per E et 15° per F multiplicatae et in vnam summam collectae dant:

$$AD + BE + CF = + DFH + DEI + EFG - DEI - EFG - DFH = 0,$$

quae est ipsa conditio 10° initio proposita, similique modo 13°. G + 14°. H + 15°. I dabit conditionem 11° et 16°. G + 17°. H + 18°. I conditionem 12° ita vt sit:

10°. AD + BE + CF = 0
11°. AG + BH + CI = 0
12°. DG + EH + FI = 0.

VIII. Denique si in formula no. 13° valores literarum E et F ex formulis 17° et 18° substituantur, emergit haec aequatio:

$$\mathrm{A} = \mathrm{AHH} - \mathrm{BGH} - \mathrm{CGI} + \mathrm{AII} = \mathrm{A}\,(\mathrm{HH}+\mathrm{II}) - \mathrm{G}\,(\mathrm{BH}+\mathrm{CI})$$

at ex aequatione 11° est BH + CI = − AG, vnde colligitur: A = A (GG + HH + II), ideoque vel A = 0 vel GG + HH + II = 1. Cum autem simili modo ex formulis 14°, 15°, 16°, 17°, et 18° eliciantur aequationes:

$$\mathrm{B} = \mathrm{B}\,(\mathrm{GG}+\mathrm{HH}+\mathrm{II});\ \mathrm{C} = \mathrm{C}\,(\mathrm{GG}+\mathrm{HH}+\mathrm{II});\ \mathrm{D} = \mathrm{D}\,(\mathrm{GG}+\mathrm{HH}+\mathrm{II});$$

E = E (GG + HH + II) et F = F (GG + HH + II) neque litterae A, B, C, D, E, F omnes simul euanescant, necesse est sit GG + HH + II = 1 quae est conditio 9° hocque modo ostenditur esse:

$$\begin{aligned} 7^\circ.&\quad \mathrm{AA}+\mathrm{BB}+\mathrm{CC}=1;\\ 8^\circ.&\quad \mathrm{DD}+\mathrm{EE}+\mathrm{FF}=1;\\ 9^\circ.&\quad \mathrm{GG}+\mathrm{HH}+\mathrm{II}=1 \end{aligned}$$

quae est demonstratio completa theorematis propositi.

Solutio Problematis initio propositi.

IX. Statuamus $\mathrm{A} = \cos\zeta$, et cum conditiones 1° et 7° praebeant:

$$\mathrm{DD}+\mathrm{GG} = \sin^2\zeta, \qquad \text{et} \qquad \mathrm{BB}+\mathrm{CC} = \sin^2\zeta$$

his ingenere satisfaciemus ponendo: $\mathrm{B} = \sin\zeta\cos\eta$; $\mathrm{C} = \sin\zeta\sin\eta$; $\mathrm{D} = \sin\zeta\cos\theta$; $\mathrm{G} = \sin\zeta\sin\theta$. Considerentur iam conditiones 17° et 21° quae factis his substitutionibus induent has formas:

$$\begin{aligned} 17^\circ.&\quad \mathrm{E} = \sin^2\zeta\sin\eta\sin\theta - \mathrm{I}\cos\zeta \qquad \text{seu} \qquad \mathrm{E}+\mathrm{I}\cos\zeta = \sin^2\zeta\sin\eta\sin\theta\\ 21^\circ.&\quad \mathrm{I} = \sin^2\zeta\cos\eta\cos\theta - \mathrm{E}\cos\zeta \qquad \text{seu} \qquad \mathrm{I}+\mathrm{E}\cos\zeta = \sin^2\zeta\cos\eta\cos\theta \end{aligned}$$

Hinc (17° − 21° . $\cos\zeta$) et (21° − 17°. $\cos\zeta$) dant:

$$\mathrm{E}(1-\cos^2\zeta) = \sin^2\zeta(\sin\eta\sin\theta - \cos\zeta\cos\eta\cos\theta)$$

$$\mathrm{I}(1-\cos^2\zeta) = \sin^2\zeta(\cos\eta\cos\theta - \cos\zeta\sin\eta\sin\theta)$$

vnde colligitur: $\mathrm{E} = \sin\eta\sin\theta - \cos\zeta\cos\eta\cos\theta$ and $\mathrm{I} = \cos\eta\cos\theta - \cos\zeta\sin\eta\sin\theta$.

X. Simili modo conditiones 18° et 20° modo ante demonstratae, dactis substitionibus suppeditant has aequationes:

$$\begin{aligned} 18^\circ.&\quad \mathrm{F}=\mathrm{H}\cos\zeta - \sin^2\zeta\cos\eta\sin\theta \qquad \text{seu} \qquad \mathrm{F}-\mathrm{H}\cos\zeta = -\sin^2\zeta\cos\eta\sin\theta\\ 20^\circ.&\quad \mathrm{H}=\mathrm{F}\cos\zeta - \sin^2\zeta\sin\eta\cos\theta \qquad \text{seu} \qquad \mathrm{H}-\mathrm{F}\cos\zeta = \sin^2\zeta\sin\eta\cos\theta \end{aligned}$$

vnde formae $(18^\circ + 20^\circ\ .\ \cos\zeta)$ et $(20^\circ + 18^\circ.\ \cos\zeta)$ producunt

$$\mathrm{F}(1-\cos^2\zeta) = -\sin^2\zeta(\cos\eta\sin\theta + \cos\zeta\sin\eta\cos\theta)$$

$$\mathrm{H}(1-\cos^2\zeta) = -\sin^2 z(\sin\eta\cos\theta + \cos\zeta\cos\eta\sin\theta)$$

vnde ob $1-\cos^2\zeta = \sin^2\zeta$ elicitur

$$\mathrm{F} = -\cos\eta\sin\theta - \cos\zeta\sin\eta\cos\theta \qquad \text{et} \qquad \mathrm{H} = -\sin\eta\cos\theta - \cos\zeta\cos\eta\sin\theta$$

sicque nouem numeri conditionibus praescriptis satisfacientes ita sunt definiti, vt tres anguli z, h, q arbitrio nostro relinquantur, in quo criterium solutionis cernitur.

XI. Solutio ergo completa nostri problematis ita se habet, vt nouem numeri quaesiti sequentes sortiantur valores:

$$\begin{array}{lll} \mathrm{A} = \cos\zeta & \mathrm{B} = \sin\zeta\cos\eta & \mathrm{C} = \sin\zeta\sin\eta \\ \mathrm{D} = \sin\zeta\cos\theta & \mathrm{E} = \sin\eta\sin\theta - \cos\zeta\cos\eta\cos\theta & \mathrm{F} = -\cos\eta\sin\theta - \cos\zeta\sin\eta\cos\theta \\ \mathrm{G} = \sin\zeta\sin\theta & \mathrm{H} = -\sin\eta\cos\theta - \cos\zeta\cos\eta\sin\theta & \mathrm{I} = \cos\eta\cos\theta - \cos\zeta\sin\eta\sin\theta \end{array}$$

quibus valoribus non solum sex conditiones priores, quibus problema determinatur, sed etiam sex posteriores, atque adeo etiam nouem nouae §.VII exhibitae, adimplentur. Haecque solutio istum praestat vsum, vt inde facili negotio solutiones in numeris rationalibus, quotcunque libuerit, reperire liceat, tres scilicet angulos ζ, η, θ ita capi opus est, vt eorum tam sinus quam cosinus rationaliter exprimantur. Hinc solutio satis simplex prodibit sumendo $\cos\zeta = 3/5$; $\sin\zeta = 4/5$; $\cos\eta = 3/5$; $\sin\eta = 4/5$; $\cos\theta = 5/13$; $\sin\theta = 12/13$.

Methodus Generalis huiusmodi problemata resoluendi.

XII. Methodus generalis, quam hic sum traditurus, ex principio supra §.III memorato est petita, vbi ostendi problema propositum eo redire, vt ex ternis variabilibus x, y, z aliae tres X, Y, Z per huiusmodi formulas $\alpha x+\beta y+\gamma z$ ita determinentur, vt fiat $\mathrm{X}^2 + \mathrm{Y}^2 + \mathrm{Z}^2 = x^2+y^2+z^2$, haecque determinatio maxime sit generalis; tum enim coëfficientes trium harum formularum $\alpha x + \beta y + \gamma z$ pro nouis variabilibus X, Y, Z resultantium, erunt ipsi illi nouem numeri, qui in problemate desiderantur. Hic igitur duae conditiones probe sunt perpendendae, quarum altera est, vt valores ipsarum X, Y, Z simpliciter per huiusmodi formulas $\alpha x + \beta y + \gamma z$ exprimantur, altera vero vt tum fiat $\mathrm{X}^2 + \mathrm{Y}^2 + \mathrm{Z}^2 = x^2 + y^2 + z^2$. Nisi enim illa conditio adesset, quaestio foret per methodum Diophanteam solutu facilis, dum tantum trium quadratorum summa in tria alia quadrata resolui deberet, id quod nihil habet difficultatis.

XIII. Quoniam vero rem eo deducere animus est, vt methodus ad quaestiones continuo magis complicatas extendi queat, a casu simplicissimo exordiar, quo propositis tantum duabus variabilibus x et y, ex iis aliae duae X et Y per huiusmodi formulas $\alpha x + \beta y$ definiri debeant vt fiat $\mathrm{X}^2 + \mathrm{Y}^2 = x^2 + y^2$. Hunc in finem posito

$$\mathrm{X} = \alpha x + \beta y \qquad \text{et} \qquad \mathrm{Y} = \gamma x + \delta y$$

necesse est, fiat:

$$\alpha\alpha + \gamma\gamma = 1; \quad \beta\beta + \delta\delta = 1; \quad \alpha\beta + \gamma\delta = 0.$$

Statuamus ergo $\alpha = \cos\zeta$ et $\beta = \cos\eta$, vt habeatur $\gamma = \sin\zeta$ et $\delta = \sin\eta$, sicque duabus prioribus conditionibus satisfiat: tum vero tertia dabit $\cos\zeta\cos\eta + \sin\zeta\sin\eta = \cos(\zeta-\eta) = 0$, ex quo erit $\zeta - \eta = 90°$, ideoque $\eta = \zeta - 90°$, ac propterea $\cos\eta = \sin\zeta$ et $\sin\eta = -\cos\zeta$. Vnde patet si capiatur:

$$\mathrm{X} = x\cos\zeta + y\sin\zeta \qquad \text{et} \qquad \mathrm{Y} = x\sin\zeta - y\cos\zeta$$

fore $\mathrm{X}^2 + \mathrm{Y}^2 = x^2 + y^2$.

XIV. Hoc lemmate praemisso ex propositis tribus variabilibus x, y, z primo alias tres x', y', z' ita definio vt sit

$$x' = x\cos\zeta + y\sin\zeta; \qquad y' = x\sin\zeta - y\cos z; \qquad z' = z$$

hoc enim modo certo erit

$$x'x' + y'y' + z'z' = xx + yy + zz.$$

Deinde ex his simili modo alias x'', y'', z'' deduco, vt sit

$$x'' = x'; \qquad y'' = y'\cos\eta + z'\sin\eta; \qquad z'' = y'\sin\eta - z'\cos\eta$$

atque hinc tandem quaesitas X, Y, Z ita definio:

$$\mathrm{X} = z''\cos\theta + x''\sin\theta; \qquad \mathrm{Y} = y''; \qquad Z = z''\sin\theta - x''\cos\theta$$

sic enim vtique fiet:

$$\mathrm{X}^2 + \mathrm{Y}^2 + \mathrm{Z}^2 = x''x'' + y''y'' + z''z'' = x'x' + y'y' + z'z' = xx + yy + zz.$$

XV. Ex hac autem triplici positione sequitur fore:

$$x'' = x\cos\zeta + y\sin\zeta; \qquad y'' = x\sin\zeta\cos\eta - y\cos\zeta\cos\eta + z\sin\eta;$$
$$z'' = x\sin\zeta\sin\eta - y\cos\zeta\sin\eta - z\cos\eta$$

tum vero

$$\begin{aligned}
\mathrm{X} &= x(\sin\zeta\sin\eta\cos\theta + \cos\zeta\sin\theta) - y(\cos\zeta\sin\eta\cos\theta - \sin\zeta\sin\theta) - z\cos\eta\cos\theta \\
\mathrm{Y} &= x\sin\zeta\cos\eta - y\cos\zeta\cos\eta + z\sin\eta \\
\mathrm{Z} &= x(\sin\zeta\sin\eta\sin\theta - \cos\zeta\cos\theta) - y(\cos\zeta\sin\eta\sin\theta + \sin\zeta\cos\theta) - z\cos\eta\sin\theta
\end{aligned}$$

quae formulae cum ante inuentis conueniunt.

XVI. Hanc solutionem esse generalem vel inde patet, quod ea complectatur tres angulos arbitrarios ζ, η, θ, qui per tres transformationes quas instituimus, sunt introducti. Vis enim huius methodi in hoc consistit, vt quauis transformatione duae tantum quantitates varientur, dum scilicet in earum locum duae aliae vna cum angulo arbitrario introducuntur, tertia manente immutata. Hinc duae operationes iam quidem solutionem problematis suppeditant, sed nondum completam, ob defectum vnius quantitatis arbitrariae. Quamobrem tot transformationes institui oportet donec tot huiusmodi quantitates arbitrariae fuerint ingressae quot ad maximam solutionis extensionem requiruntur. Supra autem iam obseruaui, cum quaestio circa nouem numeros versetur ac tantum sex conditiones praescribantur, tres eorum manere indeterminatos, quemadmodum etiam in solutione hic data ob angulos ζ, η, θ arbitrio nostro relictos, tres numeri A, B, D pro lubitu accipi possunt.

XVII. Hinc autem dubium nasci posset, quod cum qualibet transformatione nouus angulus introducatur, aucto transformationum numero nostri problematis solutio multo adhuc generalior obtineri posset. Verum tamen qui huius rei periculum facere voluerit, mox animaduertet, nouum angulum introductum cum aliquo praecedentium in vnum coalescere ita vt quotcunquae transformationes suscipiantur, numerus angulorum vere arbitrariorum non vltra ternarium augeri queat. Adiiciamus enim insuper hanc transformationem ponendo:

$$\mathrm{X}' = \mathrm{X}; \quad \mathrm{Y}' = \mathrm{Y}\cos\lambda - \mathrm{Z}\sin\lambda; \quad \mathrm{Z}' = \mathrm{Y}\sin\lambda + \mathrm{Z}\cos\lambda$$

fietque

$$\begin{aligned}
\mathrm{X}' &= x(\sin\zeta\sin\eta\cos\theta + \cos\zeta\sin\theta) + y(\sin\zeta\sin\theta - \cos\zeta\cos\eta\cos\theta) - z\cos\eta\cos\theta \\
\mathrm{Y}' &= x(\sin\zeta\cos\eta\cos\lambda - \sin\zeta\sin\eta\sin\theta\sin\lambda + \cos\zeta\cos\theta\sin\lambda \\
&- y(\cos\zeta\cos\eta\cos\lambda - \cos\zeta\sin\eta\sin\theta\sin\lambda - \sin\zeta\cos\theta\sin\lambda \\
&+ z(\sin\eta\cos\lambda + \cos\eta\sin\theta\sin\lambda) \\
\mathrm{Z}' &= x(\sin\zeta\cos\eta\sin\lambda + \sin\zeta\sin\eta\sin\theta\cos\lambda - \cos\zeta\cos\theta\cos\lambda \\
&- y(\cos\zeta\cos\eta\sin\lambda + \cos\zeta\sin\eta\sin\theta\sin\lambda - \sin\zeta\cos\theta\cos\lambda \\
&+ z(\sin\eta\sin\lambda - \cos\eta\sin\theta\cos\lambda)
\end{aligned}$$

vbi etsi quatuor anguli adsunt ζ, η, θ et λ, tamen inde non plures tribus coëfficientes pro lubitu assignare licet: quod quidem non facile perspicitur, et nonnisi per plures ambages ostendi posse videtur: cum tamen ex rei natura res sit prorsus manifesta.

XVIII. Etiam maxime arduum videatur has quatuor quantitates indeterminatas a tres reuocare haecque inuestigatio omnino singulares calculi euolutiones postulet, tamen ratio in eo sita haud difficulter deprehenditur, quod bis inter easdem quantitates cognomines y et z transformatio sit instituta. Scilicet in secunda quantitates y', z' in y'', z'' ope anguli η et in quarta quantitates cognomines Y et Z ope anguli λ in Y' et Z' sunt transformatae. Quae duae transformationes si immediate se exciperent ponendo exempli gratia

$$\text{primum} \quad y' = y\cos\zeta + z\sin\zeta; \quad z' = y\sin\zeta - z\cos\zeta$$

tum vero

$$y'' = y'\cos\eta + z'\sin\eta; \quad z'' = y'\sin\eta - z'\cos\eta$$

coniunctim prodiret:

$$y'' = y\cos(\zeta - \eta) + z\sin(\zeta - \eta) \quad \text{et} \quad z'' = -y\sin(\zeta - \eta) + z\cos(\zeta - \eta)$$

sicque duplex illa transformatio manifesto vnicae ope anguli $\zeta - \eta$ factae aequiualeret. Quod etiam euenire est intelligendum, etiamsi huiusmodi binae transformationes inter quantitates cognomines non immediate se excipiant.

XIX. Hinc cum quaelibet transformatio inter duas tantum quantitates variabiles instituatur, hanc regulam stabiliri conuenit, vt hae transformationes semper inter binas variabiles diuersi nominis suscipiantur; quo pacto numerus transformationum ita determinatur, vt plures forent inutiles. Ita cum in nostro problemate tres habeantur quantitates variabiles litteris x, y, z indicatae, plures quam tres transformationes locum habere nequeunt, dum vna inter x et y, alia inter x et z, et tertia inter y et z instituitur hoc modo

$$\begin{array}{lll} x' = x\cos\zeta + y\sin\zeta & x'' = x'\cos\eta + z'\sin\eta & x''' = x'' \\ y' = x\sin\zeta - y\cos\zeta & y'' = y' & y''' = y''\cos\theta + z''\sin\theta \\ z' = z & z'' = x'\sin\eta - z'\cos\eta & z''' = y''\sin\theta - z''\cos\theta \end{array}$$

vbi in prima quantitas nominis z, in secunda nominis y, in tertia vero nominis x inuariata relinquitur.

XX. Hanc regulam obseruantes methodum hanc per istiusmodi transformationes procedentem facile ad eiusmodi problemata accomodare poterimus, quibus plures quam tres quantitates variabiles proponuntur, quas simili modo in alias totidem transformari oporteat, vt quadratorum summa maneat eadem. Pluribus scilicet transformationibus inter binas tantum instituendis opus erit, vbi tantum erit cauendum, ne inter binas cognomines bis transformatio instituatur. Quo obseruato, solutio non ante erit completa, quam inter omnes binas diuersi nominis tales transformationes fuerint absolutae cuiusmodi diuersae combinationes habebuntur sex, si quatuor propositae sint quantitates, decem vero si quinque et ita porro. Cuiusmodi problemata aliquot cum solutionibus hic subiungam.

Problema.

Quatuor quantitates v, x, y, z ita in alias per huiusmodi formulas $\alpha v + \beta x + \gamma y + \delta z$ transformare, vt summa quadratorum maneat eadem vel ponendo

$$\begin{array}{ll} \mathrm{V} = \mathrm{A}v + \mathrm{B}x + \mathrm{C}y + \mathrm{D}z; & \mathrm{Y} = \mathrm{I}v + \mathrm{K}x + \mathrm{L}y + \mathrm{M}z \\ \mathrm{X} = \mathrm{E}v + \mathrm{F}x + \mathrm{G}y + \mathrm{H}z; & \mathrm{Z} = \mathrm{N}v + \mathrm{O}x + \mathrm{P}y + \mathrm{Q}z \end{array}$$

hos sedecim coëfficientes ita definire vt fiat

$$\mathrm{VV} + \mathrm{XX} + \mathrm{YY} + \mathrm{ZZ} = vv + xx + yy + zz$$

quem in finem sequentibus 10 conditionibus satisfieri oportet:

$$
\begin{array}{ll}
1^\circ. & \mathrm{AA + EE + II + NN} = 1 \\
2^\circ. & \mathrm{BB + FF + KK + OO} = 1 \\
3^\circ. & \mathrm{CC + GG + LL + PP} = 1 \\
4^\circ. & \mathrm{DD + HH + MM + QQ} = 0 \\
5^\circ. & \mathrm{AB + EF + IK + NO} = 0 \\
6^\circ. & \mathrm{AC + EG + IL + NP} = 0 \\
7^\circ. & \mathrm{AD + EH + IM + NQ} = 1 \\
8^\circ. & \mathrm{BC + FG + KL + OP} = 1 \\
9^\circ. & \mathrm{BD + FH + KM + OQ} = 1 \\
10^\circ. & \mathrm{CD + GH + LM + PQ} = 0
\end{array}
$$

XXI. Cum hic sedecim numeri ex 10 conditionibus inueniendi proponantur, euidens est eorum sex arbitrio nostro relinqui, seu quod eodem redit solutionem completam sex quantitates arbitrarias complecti debere.

Methodum autem ante expositam sequentes reuera solutionem sex transformationibus absolui deprehendimus, quae ita repraesentari possunt:

$$
\begin{array}{ccc}
\text{I.} & \text{II.} & \text{III.} \\
x^{\mathrm{I}} = x\cos\alpha + y\sin\alpha & x^{\mathrm{II}} = x^{\mathrm{I}}\cos\beta + z^{\mathrm{I}}\sin\beta & x^{\mathrm{III}} = x^{\mathrm{II}}\cos\gamma + v^{\mathrm{II}}\sin\gamma \\
y^{\mathrm{I}} = x\sin\alpha - y\cos\alpha & y^{\mathrm{II}} = y^{\mathrm{I}} & y^{\mathrm{III}} = y^{\mathrm{II}} \\
z^{\mathrm{I}} = z & z^{\mathrm{II}} = x^{\mathrm{I}}\sin\beta - z^{\mathrm{I}}\cos\beta & z^{\mathrm{III}} = z^{\mathrm{II}} \\
v^{\mathrm{I}} = v & v^{\mathrm{II}} = v^{\mathrm{I}} & v^{\mathrm{III}} = x^{\mathrm{II}}\sin\gamma - v^{\mathrm{II}}\cos\gamma
\end{array}
$$

$$
\begin{array}{ccc}
\text{IV.} & \text{V.} & \text{VI.} \\
x^{\mathrm{IV}} = x^{\mathrm{III}} & x^{\mathrm{V}} = x^{\mathrm{IV}} & x^{\mathrm{VI}} = x^{\mathrm{V}} = \mathrm{X} \\
y^{\mathrm{IV}} = y^{\mathrm{III}}\cos\delta + z^{\mathrm{III}}\sin\delta & y^{\mathrm{V}} = y^{\mathrm{IV}}\cos\epsilon + v^{\mathrm{IV}}\sin\epsilon & y^{\mathrm{VI}} = y^{\mathrm{V}} = \mathrm{Y} \\
z^{\mathrm{IV}} = y^{\mathrm{III}}\sin\delta - z^{\mathrm{III}}\cos\delta & z^{\mathrm{V}} = z^{\mathrm{IV}} & z^{\mathrm{VI}} = z^{\mathrm{V}}\cos\zeta + v^{\mathrm{V}}\sin\zeta = \mathrm{Z} \\
v^{\mathrm{VI}} = v^{\mathrm{III}} & v^{\mathrm{V}} = y^{\mathrm{IV}}\sin\epsilon - v^{\mathrm{VI}}\cos\epsilon & v^{\mathrm{VI}} = z^{\mathrm{V}}\sin\zeta - v^{\mathrm{V}}\cos\zeta = \mathrm{V}
\end{array}
$$

in quas formulas reuera sex anguli arbitrarii ingrediuntur vt solutionis completae indoles postulat.

XXII. Iam perspicuum est ope harum reductionum nouas quantitates X, Y, Z, V ita per primum assumtas x, y, z, v expressum iri, vt fiat $\mathrm{X} = \mathrm{A}x + \mathrm{B}y + \mathrm{C}z + \mathrm{D}v$, silimiterque etiam reliquae vnde facta euolutione coëfficientes ipsarum x, y, z, v in quatuor formis pro

X, Y, Z, V oriundis ipsos eos sedecim numeros praebebunt, qui requiruntur, pro solutione problematis propositi. Quae cum per se sint manifesta, non opus esse arbitror singulos valores harum sedecim litterarum euoluere. Ceterum cum in harum sex transformationum prima binae x et y, in secunda x et z, in tertia x et v, in quarta y et z, in quinta y et v et in sexta z et v sint transformatae, quae sunt omnes combinationes possibiles; in hoc ipso etiam continetur criterium solutionis completae.

XXIII. Quoniam autem hic occurunt quatuor quantitates x, y, z, v in singulis operationibus duae transformationes binarum institui possunt, quo pacto euolutio valorem quaesitorum non mediocriter subleuantur, vti iterum cauendum ne inter easdem binas litteras plus vna transformatione suscipiatur. Sic autem totum negotium tribus operationibus absolui poterit hoc modo:

I.	II.	III.
$x' = x\cos\alpha + y\sin\alpha$	$x'' = x'\cos\gamma + z'\sin\gamma$	$x''' = x''\cos\epsilon + v''\sin\epsilon = \mathrm{X}$
$y' = x\sin\alpha - y\cos\alpha$	$y'' = y'\cos\delta + v'\sin\delta$	$y''' = y''\cos\zeta + z''\sin\zeta = \mathrm{Y}$
$z' = z\cos\beta + v\sin\beta$	$z'' = x'\sin\gamma - z'\cos\gamma$	$z''' = y''\sin\zeta + z''\cos\zeta = \mathrm{Z}$
$v' = z\sin\beta - v\cos\beta$	$v'' = y''\sin\delta + v'\cos\delta$	$v''' = x''\sin\epsilon - v''\cos\epsilon = \mathrm{V}$

Harum formularum euolutio pro sedecim numeris quaesitis sequentes praebet valores:

$$
\begin{aligned}
\mathrm{A} &= +\cos\alpha\cos\gamma\cos\epsilon + \sin\alpha\sin\delta\sin\epsilon;\\
\mathrm{B} &= +\sin\alpha\cos\gamma\cos\epsilon - \cos\alpha\sin\delta\sin\epsilon;\\
\mathrm{C} &= +\cos\beta\sin\gamma\cos\epsilon - \sin\beta\cos\delta\sin\epsilon;\\
\mathrm{D} &= +\sin\beta\sin\gamma\cos\epsilon + \cos\beta\cos\delta\sin\epsilon;\\
\mathrm{E} &= +\sin\alpha\cos\delta\cos\zeta + \cos\alpha\sin\gamma\sin\zeta;\\
\mathrm{F} &= -\cos\alpha\cos\delta\cos\zeta + \sin\alpha\sin\gamma\sin\zeta;\\
\mathrm{G} &= +\sin\beta\sin\delta\cos\zeta - \cos\beta\cos\gamma\sin\zeta;\\
\mathrm{H} &= -\cos\beta\sin\delta\cos\zeta - \sin\beta\cos\gamma\sin\zeta;\\
\mathrm{I} &= +\sin\alpha\cos\delta\sin\zeta - \cos\alpha\sin\gamma\cos\zeta;\\
\mathrm{K} &= -\cos\alpha\cos\delta\sin\zeta - \sin\alpha\sin\gamma\cos\zeta;\\
\mathrm{L} &= +\sin\beta\sin\delta\sin\zeta + \cos\beta\cos\gamma\cos\zeta;\\
\mathrm{M} &= -\cos\beta\sin\delta\sin\zeta + \sin\beta\cos\gamma\cos\zeta;\\
\mathrm{N} &= +\cos\alpha\cos\gamma\sin\epsilon - \sin\alpha\sin\delta\cos\epsilon;\\
\mathrm{O} &= +\sin\alpha\cos\gamma\sin\epsilon + \cos\alpha\sin\delta\cos\epsilon;\\
\mathrm{P} &= +\cos\beta\sin\gamma\sin\epsilon + \sin\beta\cos\delta\cos\epsilon;\\
\mathrm{Q} &= +\sin\beta\sin\gamma\sin\epsilon - \cos\beta\cos\delta\cos\epsilon.
\end{aligned}
$$

XXIV. Circa hos autem sedecim valores, quibus decem conditiones in problemate allatae implentur, hanc insignem proprietatem locum habere obseruo, vt iisdem quoque sequentibus decem conditionibus satisfiat:

$$\begin{array}{ll}
11^\circ. & \mathrm{AA + BB + CC + DD} = 1 \\
12^\circ. & \mathrm{EE + FF + GG + HH} = 1 \\
13^\circ. & \mathrm{II + KK + LL + MM} = 1 \\
14^\circ. & \mathrm{NN + OO + PP + QQ} = 1 \\
15^\circ. & \mathrm{AE + BF + CG + DH} = 0 \\
16^\circ. & \mathrm{AI + BK + CL + DM} = 0 \\
17^\circ. & \mathrm{AN + BO + CP + DQ} = 0 \\
18^\circ. & \mathrm{EI + FK + GL + HM} = 0 \\
19^\circ. & \mathrm{EN + FO + GP + HQ} = 0 \\
20^\circ. & \mathrm{IN + KO + LP + MQ} = 0
\end{array}$$

Quod est Theorema prorsus memorabile ac simile ei, quod initio circa nouem tantum numeros demonstraui. Eo autem modo, quo ibi demonstrationem adornaui, hic quidem ob litterarum multitudinem vti non licebit; sed quoniam ad hos valores generales successiue peruenire docui, demonstratio ita conuenientissime conficietur, vt si haec proprietas in valoribus quibusque antecedentibus, locum habuerit, eadem quoque in sequentibus per transformationem inde deriuatis locum habere ostendatur.

XXV. Consideremus igitur valores quoscunque intermedios qui per quatuor primitiuas quantitates x, y, z, v ita definiantur, vt sit

$$x^{(n)} = \mathfrak{A}x + \mathfrak{B}y + \mathfrak{C}z + \mathfrak{D}v; \qquad y^{(n)} = \mathfrak{E}x + \mathfrak{F}y + \mathfrak{G}z + \mathfrak{H}v$$

$$z^{(n)} = \mathfrak{I}x + \mathfrak{K}y + \mathfrak{L}z + \mathfrak{M}v; \qquad v^{(n)} = \mathfrak{N}x + \mathfrak{O}y + \mathfrak{P}z + \mathfrak{Q}v$$

vbi coëfficientes ita sint comparati, vt supra memoratis conditionibus satisfaciant; scilicet vt sit:

$$\begin{array}{rcl}
\mathfrak{AA} + \mathfrak{BB} + \mathfrak{CC} + \mathfrak{DD} &=& 1; \\
\mathfrak{EE} + \mathfrak{FF} + \mathfrak{GG} + \mathfrak{HH} &=& 1; \\
\mathfrak{II} + \mathfrak{KK} + \mathfrak{LL} + \mathfrak{MM} &=& 1; \\
\mathfrak{NN} + \mathfrak{OO} + \mathfrak{PP} + \mathfrak{QQ} &=& 1; \\
\mathfrak{AE} + \mathfrak{BF} + \mathfrak{CG} + \mathfrak{DH} &=& 0; \\
\mathfrak{AI} + \mathfrak{BK} + \mathfrak{CL} + \mathfrak{DM} &=& 0; \\
\mathfrak{AN} + \mathfrak{BO} + \mathfrak{CP} + \mathfrak{DQ} &=& 0; \\
\mathfrak{EI} + \mathfrak{FK} + \mathfrak{GL} + \mathfrak{HM} &=& 0; \\
\mathfrak{EN} + \mathfrak{FO} + \mathfrak{GP} + \mathfrak{HQ} &=& 0; \\
\mathfrak{IN} + \mathfrak{KO} + \mathfrak{LP} + \mathfrak{MQ} &=& 0,
\end{array}$$

quae conditionibus vtique in prima positione locum habent, vbi est $x^{(n)} = x$, $y^{(n)} = y$, $z^{(n)} = z$,

$v^{(n)} = v$; siquidem tum habetur:

$$\begin{array}{llll} \mathfrak{A}=1; & \mathfrak{E}=0; & \mathfrak{I}=0; & \mathfrak{N}=0; \\ \mathfrak{B}=0; & \mathfrak{F}=1; & \mathfrak{K}=0; & \mathfrak{O}=0; \\ \mathfrak{C}=0; & \mathfrak{G}=0; & \mathfrak{L}=1; & \mathfrak{P}=0; \\ \mathfrak{D}=0; & \mathfrak{H}=0; & \mathfrak{M}=0; & \mathfrak{Q}=1. \end{array}$$

XXVI. Ponamus ex illis valoribus per transformationes sequentes ita deriuari

vt posito	prodeant hi valores deriuati
$x^{(n+1)} = x^{(n)}\cos\theta + y^{(n)}\sin\theta$	$x^{(n+1)} = \mathfrak{A}'x + \mathfrak{B}'y + \mathfrak{C}'z + \mathfrak{D}'v$
$y^{(n+1)} = x^{(n)}\sin\theta - y^{(n)}\cos\theta$	$y^{(n+1)} = \mathfrak{E}'x + \mathfrak{F}'y + \mathfrak{G}'z + \mathfrak{H}'v$
$z^{(n+1)} = z^{(n)}$	$z^{(n+1)} = \mathfrak{I}'x + \mathfrak{K}'y + \mathfrak{L}'z + \mathfrak{M}'v$
$v^{(n+1)} = v^{(n)}$	$v^{(n+1)} = \mathfrak{N}'x + \mathfrak{O}'y + \mathfrak{P}'z + \mathfrak{Q}'v$

eritque:

$$\begin{array}{rcllll} \mathfrak{A}' &=& \mathfrak{A}\cos\theta + \mathfrak{E}\sin\theta; & \mathfrak{E}' = \mathfrak{A}\sin\theta - \mathfrak{E}\cos\theta; & \mathfrak{I}' = \mathfrak{I}; & \mathfrak{N}' = \mathfrak{N} \\ \mathfrak{B}' &=& \mathfrak{B}\cos\theta + \mathfrak{F}\sin\theta; & \mathfrak{F}' = \mathfrak{B}\sin\theta - \mathfrak{F}\cos\theta; & \mathfrak{K}' = \mathfrak{K}; & \mathfrak{O}' = \mathfrak{O} \\ \mathfrak{C}' &=& \mathfrak{C}\cos\theta + \mathfrak{G}\sin\theta; & \mathfrak{G}' = \mathfrak{C}\sin\theta - \mathfrak{G}\cos\theta; & \mathfrak{L}' = \mathfrak{L}; & \mathfrak{P}' = \mathfrak{P} \\ \mathfrak{D}' &=& \mathfrak{D}\cos\theta + \mathfrak{H}\sin\theta; & \mathfrak{H}' = \mathfrak{D}\sin\theta - \mathfrak{H}\cos\theta; & \mathfrak{M}' = \mathfrak{M}; & \mathfrak{Q}' = \mathfrak{Q} \end{array}$$

Vnde quidem hae conditiones iam sponte implentur:

$$\begin{array}{rcl} \mathfrak{I}'\mathfrak{I}' + \mathfrak{K}'\mathfrak{K}' + \mathfrak{L}'\mathfrak{L}' + \mathfrak{M}'\mathfrak{M}' &=& 1 \\ \mathfrak{I}'\mathfrak{N}' + \mathfrak{K}'\mathfrak{O}' + \mathfrak{L}'\mathfrak{P}' + \mathfrak{M}'\mathfrak{Q}' &=& 0 \\ \mathfrak{N}'\mathfrak{N}' + \mathfrak{O}'\mathfrak{O}' + \mathfrak{P}'\mathfrak{P}' + \mathfrak{Q}'\mathfrak{Q}' &=& 1. \end{array}$$

XXVII. Reliquis vero etiam conditionibus satisfieri facile ostenditur; erit enim:

$$\begin{array}{rcl} \mathfrak{A}'\mathfrak{A}' + \mathfrak{B}'\mathfrak{B}' + \mathfrak{C}'\mathfrak{C}' + \mathfrak{D}'\mathfrak{D}' &=& +(\mathfrak{A}\mathfrak{A} + \mathfrak{B}\mathfrak{B} + \mathfrak{C}\mathfrak{C} + \mathfrak{D}\mathfrak{D})\cos^2\theta \\ && +(\mathfrak{E}\mathfrak{E} + \mathfrak{F}\mathfrak{F} + \mathfrak{G}\mathfrak{G} + \mathfrak{H}\mathfrak{H})\sin^2\theta \\ && +2(\mathfrak{A}\mathfrak{E} + \mathfrak{B}\mathfrak{F} + \mathfrak{C}\mathfrak{G} + \mathfrak{D}\mathfrak{H})\sin\theta\cos\theta \\ &=& 1\cdot\cos^2\theta + 1\cdot\sin^2\theta + 0\cdot\sin\theta\cos\theta = 1 \end{array}$$

quod simili modo de summa quadratorum secundae columnae $\mathfrak{E}'\mathfrak{E}' + \mathfrak{F}'\mathfrak{F}' + \mathfrak{G}'\mathfrak{G}' + \mathfrak{H}'\mathfrak{H}'$ ostenditur. Deinde etiam res manifesta est circa summam productorum:

$$\begin{array}{rl} & \mathfrak{A}'\mathfrak{I}' + \mathfrak{B}'\mathfrak{K}' + \mathfrak{C}'\mathfrak{L}' + \mathfrak{D}'\mathfrak{M}' \\ = & -(\mathfrak{A}\mathfrak{I} + \mathfrak{B}\mathfrak{K} + \mathfrak{C}\mathfrak{L} + \mathfrak{D}\mathfrak{M})\cos\theta + (\mathfrak{E}\mathfrak{I} + \mathfrak{F}\mathfrak{K} + \mathfrak{G}\mathfrak{L} + \mathfrak{H}\mathfrak{M})\sin\theta = 0 \end{array}$$

pariterque etiam circa has summas:

$$\begin{aligned}\mathfrak{A}'\mathfrak{N}' + \mathfrak{B}'\mathfrak{O}' + \mathfrak{C}'\mathfrak{P}' + \mathfrak{D}'\mathfrak{Q}' &= 0;\\ \mathfrak{E}'\mathfrak{J}' + \mathfrak{F}'\mathfrak{K}' + \mathfrak{G}'\mathfrak{L}' + \mathfrak{H}'\mathfrak{M}' &= 0 \quad \text{et} \quad \mathfrak{E}'\mathfrak{N}' + \mathfrak{F}'\mathfrak{O}' + \mathfrak{G}'\mathfrak{P}' + \mathfrak{H}'\mathfrak{Q}' = 0\end{aligned}$$

vnde tantum relinquitur haec:

$$\begin{aligned}\mathfrak{A}'\mathfrak{E}' + \mathfrak{B}'\mathfrak{F}' + \mathfrak{C}'\mathfrak{G}' + \mathfrak{D}'\mathfrak{H}' &= +(\mathfrak{A}\mathfrak{A} + \mathfrak{B}\mathfrak{B} + \mathfrak{C}\mathfrak{C} + \mathfrak{D}\mathfrak{D}) \sin\theta\cos\theta\\ &\quad -(\mathfrak{E}\mathfrak{E} + \mathfrak{F}\mathfrak{F} + \mathfrak{G}\mathfrak{G} + \mathfrak{H}\mathfrak{H}) \sin\theta\cos\theta\\ &\quad +(\mathfrak{A}\mathfrak{E} + \mathfrak{B}\mathfrak{F} + \mathfrak{C}\mathfrak{G} + \mathfrak{D}\mathfrak{H}) \sin^2\theta\\ &\quad -(\mathfrak{A}\mathfrak{E} + \mathfrak{B}\mathfrak{F} + \mathfrak{C}\mathfrak{G} + \mathfrak{D}\mathfrak{H}) \cos^2\theta\\ &= +\sin\theta\cos\theta - \sin\theta\cos\theta + 0\sin^2\theta - 0\cos^2\theta = 0.\end{aligned}$$

XXVIII. Cum igitur harum decem conditionum veritas in positione prima, vti iam ostendi, sit manifesta, etiam in positione secunda per transformationem binarum inde deducta quoque subsistet, hincque etiam in omnibus sequentibus positionibus simili modo ex praecedentibus deductis. Quocirca etiam solutio generalis sex transformationibus vti in §.21. absoluta ita erit comparata, vt non solum decem conditionibus in problemate praescriptis, sed etiam alteris illis decem §.24 commemoratis satisfaciat: hocque ita vt decem prioribus conditionibus satisfieri nequeat, quin simul decem posterioribus satisfiat. Atque hinc iam facile colligitur eandem proprietatem etiam in problematibus, vbi similis quaestio circa 25, 36 pluresque numeros instituitur, semper locum habere debere. Progredior igitur ad sequens.

Problema.

Inuenire 25 numeros A, B, C, D etc, ita in formam quadrati disponendos:

A, B, C, D, E
F, G, H, I, K
L, M, N, O, P
Q, R, S, T, U
V, W, X, Y, Z

vt summae quadratorum ex singulis columnis tam verticalibus quam horizontalibus desumtorum vnitate aequantur, summae productorum autem ex binis columnis siue verticalibus siue horizontalibus formatorum euanescant.

XXIX. Ex praecedentibus intelligitur hoc problema eo reduci, vt sumtis istis 25 numeris pro coëfficientibus, quinque variabiles u, v, x, y, z per huiusmodi formulas in alias transformentur:

